



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio LX. Vtrùm humanitas Christi possit propter peccatum vnionem
amittere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

nitatis Christi potuit peccare: quod tamen concedit S. Thomas. Dicit verò, Deum illud voluisse, esse impossibile: quia tenetur gubernare illam humanitatem, & non potest etiam per potentiam absolutam relinquere illam sub illa cogitatione, & circumstantijs, quibus per scientiam mediam visa est peccatura. Hæc etiam sententia est ad mentem cæterorum, siquidem eorum ratio non amplius probat, & ab ea non dissentit Scotus, qui solum attigit id, quod competeret naturæ, subtractis donis superadditis, & relicta sibi ipsi; numquam tamen dixit Deo non repugnare peccatum in natura assumpta oppositione illa morali, nec vquam concessit Deum in natura assumpta peccare posse.

§. 85. Respondeo, S. Thomam, ubi adducitur à Lorca, ea de re minimè egisse: egit autem in 3. dist. 12. q. 2. a. 1. vnde ea verba desumpta sunt: sed non attigit Lorca mentem S. Thomæ. quæ scientiæ mediæ minimè fauet eo in loco. Ostendi disp. 4. Summularum §. 11. à Soto constitui duo genera propositionis hypotheticæ: alterum promissivum, ad cuius veritatem non requiritur connexio inter consequens & antecedens; sed tantum ut consequens sit dependens ab antecedenti. Hæc propositiones sunt obiectum scientiæ mediæ: quarum veritatem ait à solo Deo cognosci. Alterum est illatiuum: in quo consequens habet necessariam connexionem cum antecedente. Hæc propositiones non sunt obiectum scientiæ mediæ: quia non sunt liberae, sed omnino necessariae, & cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ: ut, si sol oritur, dies

est: quæ pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, sicut hæc, oriente sole est dies. De hoc genere conditionalium egit S. Thomas eo art. 1. q. 2. Quia immediatè post verba adducta §. superiori subiicit hæc: *Quia ad veritatem conditionalis non requiritur neque veritas antecedentis, neque consequentis, sed necessaria habitudo vnius ad alterum.* Ratio autem S. Thomæ est manifesta: quia si Deus velit peccare, peccare potest: quia ab actu ad potentiam affirmatiuè est consequentia. Velle autem peccare, iam est peccare: ergo si aliquis vult peccare, peccare potest: quia ipsa suppositio peccatum includit. Deinde rationem reddit S. Thomas, quia diuinitas regit animam Christi. Ratio bona est: quia animam regit diuinitas cum impotentia physica parandi concursum generalem ad peccandum. Si verò Deus (vt Lorca faterur) non potest humanitati permittere peccatum: ergo peccatum est physicè impossibile humanitati. quam consequentiam probaui §. 81. & 82. Tandem quod ait de consensu Scoti atque Durandi, non potest dici, si bene legantur: qui totam repugnantiam peccati in humanitate Christi reuocant ad visionem beatam, actum charitatis, & si quod est aliud accidens impossibile cum peccato. quòd si humanitas relinquatur cum sola vnione hypostatica, dicunt illam posse peccare: neque est incommodum, Deum denominatiuè peccare: Durandus autem ait nihil obesse præter quadam deuota verba: Philippus Faber autem eam sententiam constanter tuetur, vt ostendi §. 11. & à §. 67.

DISPUTATIO LX.


Vtrum humanitas Christi possit propter peccatum vnionem amittere?

SECTIO I. *Nonnulla præmoneo.*
 SECTIO II. *Vtrum ex natura reia*
 SECTIO III. *Quadam difficultas.*
 SECTIO IV. *Vtrum de potentia absoluta?*
 SVBSECTIO I. *Prima conclusio.*

SVBSECTIO II. *Secunda conclusio.*
 SVBSECTIO III. *Tertia conclusio.*
 SVBSECTIO IV. *Vltima conclusio.*
 SVBSECTIO V. *Ad argumenta.*

SECTIO I.

Nonnulla præmoneo.

§. 1.  NIO hypostatica potest concipi corruptibilis eodem instanti, quo est in humanitate peccatum, triplici ratione. Primum, si Deus independentè à peccato humanitatem dimittat, ita vt humanitas illo instanti careat vnione hypostatica, siue operetur bene, siue malè: cum qua dimissione potest humanitas componere opus bonum; item & malum. In quo sensu non est quæstio: illa enim vnionis carentia non potest esse effectus peccati: quia ea carentia esset, quamuis peccatum non esset, & quamuis esset bonum opus. imò carentia vnionis esset conditio ratione prior peccato. quæ obseruat rectè P. Vasquez disp. 61. n. 41.

§. 2. Secundò, possunt in eodem instanti considerari vnionis dissolutio, & peccatum modo inuerso: peccatum enim consideratur vt causa moralis dissolutionis: ideo enim vnio dissoluitur, quia humanitas peccat: estque ea vnionis carentia pœna peccati; quemadmodum augmentum gratiæ est præmium boni operis: meritum autem, & illud præmium eodem componuntur instanti. Est igitur quæstio, vtrum vnio hypostatica possit amitti peccato? quemadmodum gratia sanctificans potest amitti. Hæc quæstio potest esse vel ex natura rei, vel de potentia absoluta: in vtroque sensu eam disputo.

§. 3. Est autem hæc quæstio valdè diuersa ab ea, quam disserui disp. 59. illa enim fuit in sensu composito vnionis; hæc autem est in sensu diuiso: quemadmodum homo iustus peccare potest in sensu amplo; non verò in sensu restricto: id est, homo iustus non potest peccare mortaliter in sensu restricto.

S. Thom.
q. 15. a. 1.

componendo eodem instanti gratiam sanctifican-
tem, & mortale peccatum: potest autem homo iu-
stus peccare, quia eo instanti quo peccat, iam non
est iustus. Qui dicitur sensus amplius, atque diuisus.
Hunc sensum diuisum exquiro.

SECTIO II.

Vtrum ex natura rei?

§. 4. **D**ico, non posse naturaliter contingere vt
peccatum committatur ab humanitate,
& ratione illius dissoluatur vnio. Quo differt à
gratia habituali sanctificante: quæ ex natura rei po-
test per peccatum amitti; nec enim reddit homi-
nem impeccabilem absolute, sed secundum quid,
id est, in sensu composito: Christus autem vt homo
est impeccabilis absolute, non verò secundum
quid. Hæc conclusio frequens est apud Theologos,
quam dilucide probauerunt P. Vasquez disp. 61.
Monzeus disp. 9. ca. 2. quæ perspicue deducitur ex
P. Valentia tom. 4. disp. 1. q. 15 punct. 1. & P. Ragula
disp. 114. reuocantes impeccabilitatem Christi ad
suppositum, quod est principium operationum in
humanitate: vnde si humanitas vnita Verbo pec-
caret, & destrueret vnionem, Verbum non esset prin-
cipium illius actionis. Idem colligitur ex Thomi-
stis in hunc articulum, & in 3. dist. 12. Nazario con-
trouersia vn. Medina, Capreolo: expressius autem
Alvarez disp. 68. num. 14. & Lotca disp. 57. nu. 19.
Quæ minimè negatur à Durando & Scoto, qui
consent debent naturaliter Christo vt homini vi-
sionem beatam, cum qua non potest componi ac-
tuale peccatum.

§. 5. Hæc conclusio probari potest Primùm ex
omnium Patrum assensu: dicunt enim humanita-
tem Christi esse impeccabilem, & inuertibilem à
bono, vt constat ex disp. 59. à §. 13: Quæ phrasis es-
set falsa, si ex natura rei posset vnio peccato dissol-
ui: sicut esset falsa in homine iusto, qui nec est im-
peccabilis, & est vertibilis à bono: quia gratia non
impedit peccatum, sed relinquit arbitrium indiffe-
rens ad peccandum, destruendamque gratiam:
ergo impeccabilitas & inuertibilitas componi
non possunt cum potentia amittendi vnionem ex
natura rei.

§. 6. Ratione autem probatur ab omnibus, sed
non eadem. P. Vasquez disp. 61. n. 42. hanc ratio-
nem reddit: gratia vnionis est incomparabilis no-
stris operibus, quibus non subijcitur in acquisitio-
ne, neque intentione: neque illa redditur sanctior
bonis operibus: ergo non potest malis operibus
subijci in dissolutione aut corruptione. Confirma-
tur Primò, testimonio Dionysij Alexandrini, asse-
rentis gratiam adoptionis crescere bonis operibus,
secus gratiam vnionis: ob quod ait Christum esse
sanctum sine exercitatione, & labore; secus ceteros
iustos. Confirmatur Secundò, Gratia adoptionis
conseruatur in nobis intuitu alicuius boni operis
saltem negatiuè, donec peccatum aliquod mortale
committatur; gratia verò vnionis non conseruatur
ea ratione.

§. 7. Hoc argumentum est bonum, si dicamus
suppositum esse principium operationum: vnde
neque subiaceret libero arbitrio in acquisitione, aut
amissione: neque, Christus est iustus exercitatione

& labore; neque conseruatur vnio intuitu boni
operis positiuè, aut negatiuè. At verò argumentum
nihil euincit ab hoc principio diuissum. In genere
enim non sequitur hæc consequentia: *Gratia vnionis
non potest bonis operibus comparari: ergo neque amitti.*
Primùm à priori: quia plura principia aut condi-
tiones necessaria sunt ad meritum, quam ad demer-
itum: ob quod possumus nostris viribus solis de-
mereri quodcumque bonum supernaturale, non
tamen mereri: meritum enim deficere potest, vel
ex indignitate personæ, ex operis imperfectione,
ex magnitudine præmij; demeritum autem est ex
solo malo opere. igitur humanitas licet careat di-
gnitate ad vnionem, aut excellentia boni operis,
non propterea erit incapax actus mali: tum etiam,
quia nullus potest gratiam primam sanctificantem
condignè mereri; potest autem eam demereri con-
dignè. Confirmatur ex disp. 9. §. 44. Vbi probaui
hominem peccato mortali indignum reddi vnione
hypostatica: cum tamen nulla pura creatura sit
digna ea vnione vllis bonis operibus.

§. 8. Secundò, eam rationem impugno: quia
vnio hypostatica non est omnino incomparabilis
nostris operibus: tum quia probaui disp. 27. huma-
nitatem potuisse diuinitus vnionem congruè me-
reri: tum etiam, quia ipse P. Vasquez disp. 21. n. 48.
ait indubitatum esse, humanitatem Christi adiu-
tam auxilio gratiæ potuisse congruè mereri vnio-
nem conferendam posterius tempore, quam ipsa
humanitas sit producta: ergo ex repugnantia vt
vnio nostris operibus acquiratur, non colligitur
eam non posse malis operibus destrui. Cum igitur
aliunde P. Vasquez parum fidat communi princi-
pio actiones esse suppositorum, non adducit ratio-
nem, cur non possit ab humanitate peccatum ad-
mitti, & vnio corrupti.

§. 9. Ad argumentum ex §. 6. respondetur Pri-
mùm, antecedens esse falsum, vt absolute & ad ho-
minem ostendi §. 8. potuit enim Deus humanita-
tem subijcere congruis meritis puræ creaturæ.
Quòd si recusas ad præmium tam excellens meri-
tum etiam congruum, potuit velle eam dare post
præuisa bona opera vt conditionem: vt ostendi
disp. 26. §. 110. Deinde nego consequentiam, vt
ostendi §. 7. Humanitatem verò non posse bonis
operibus esse sanctiorem, oritur ex infinitudine
sanctitatis, quam habet per vnionem, cum qua non
potest esse alia sanctitas maior intensiue; extensiue
autem esse potest. Hinc autem quid infertur? Eam
verò non esse intensibilem nostris operibus, oritur
ex sanctitate substantiali incapaci crementi ac de-
crementi. neque enim à Deo potest intendi, aut
remitti; potest tamen corrupti: ergo etiam potest
demeritoriè corrupti, quamuis non possit augeri
demeritoriè.

§. 10. Ad primam confirmationem ex Diony-
sio Alexandr. respondetur, Christum non fuisse ab
exercitatione sanctum, quia nullo merito præcur-
rente accepit vnionem: at non propterea vnio est
inamissibilis. Demus primam gratiam donaram
angelis absque meritis; an propterea illam non pos-
sent amittere? Quemadmodum qui eam accepe-
runt infantes in baptismo, eamdem adulti per pec-
catum amittunt. Ad secundam confirmationem,
respondetur conseruari vnionem absque meritis,
quia merita illam supponunt: qui autem dicunt
actiones non esse suppositorum, id non rectè pro-
bant.

bant. Facilius responderi potest ex Durando & Scoto, eam conseruari absque meritis, quia est consummata visio beata: quemadmodum gratia Beatorum ita conseruatur absque meritis. Quo differt visio à fide: hæc enim non reddit hominem impeccabilem: ob quod vt gratia conseruetur, opus est vt præuideatur carentia peccati; visio autem reddit hominem impeccabilem: ob quod semper videtur carentia peccati composita cum visione, idque necessario. Si verò vnio relinqueretur absque visione, conseruaretur dependenter posituè, aut negatiuè à bono opere. qui est sensus nostræ quæstionis, vtrum vnio ex natura sua in humanitate non vidente Deum possit per peccatum amitti.

§. 11. Ratio à priori huius sententiæ sumitur ex dictis disp. 26. sect. 4. actiones esse suppositorum, ita vt suppositum sit prius natura, quam qualibet operatio. Quod principium latè probauit maximè auctoritate Ioannis Theologi, qui in Concilio Florent. posuit principium illud: quod Græci non sunt ausi negare, quia illud videntur omni Theologo commune. Quo probatum est Spiritum sanctum procedere à Patre Filioque. Vnde argumentor: Omnis operatio humanitatis vnitæ est posterior natura, quam vnio: ergo omnis operatio humanitatis vnitæ est simul tempore cum vnione. Probo consequentiam, quia quæ sunt priora & posteriora natura, sunt simul tempore: vt ex S. Basilio ostendi disp. 8. Physic. à §. 12. item 137.

§. 12. Confirmatur, illa prioritas est inter causam & effectum: sed effectus est simul tempore cum causa: ergo omnis operatio humanitatis est simul tempore cum vnione: sed cum vnione non potest simul tempore esse peccatum vllum, vt ostendi tota disp. 59. ergo. Tandem causa eo instanti, quo operatur, non destruitur operatione ipsa; sed est simul tempore cum illa. Quo differt vnio à gratia habituali: hæc enim non est principium omnium operationum humanitatis; secus hypostasis, sine qua antecedente non potest humanitas operari. at principium antecedens operationem non potest eadem operatione destrui eodem instanti, in quo illud supponit: ergo vnio non potest destrui vlla humanitatis actione. Ob quod humanitas est absolute impeccabilis non solum visione beata, sed etiam ex nudo vnionis conceptu.

SECTIO III.

Quaedam difficultas.

§. 13. **H**inc difficultas emergit: si humanitas simul terminaretur proprio supposito & diuino, posset operari, & vnionem hypostaticam amittere: ergo vnio hypostatica non reddit humanitatem impeccabilem ex natura sua. Probo antecedens: quia tunc vnio hypostatica non esset conditio ad agendum: quia non esset conditio ad existentiam humanitatis, quia humanitas terminata proprio supposito, non indiget vnione ad alienum vt existat: quia non pendet à posteriori à duobus suppositis, sed ab vno tantum: suppositum autem diuinum tunc esset per accidens ad existentiam humanitatis, nec in ratione suppositi esset speciale principium operationum humanitatis. Respondeo negatiuè consequentiã: quia vnio hypostatica non potest componi ex natura rei in humanitate cum

supposito creato. cum ergo ex natura rei vnio ad *s. Thom.* Verbum petat esse sola, & sit conditio ex natura *q. 15. a. 8.* sua vt existat humanitas, sitque natura prior omni operatione; apertè concluditur humanitatem reddi vnione hypostatica impeccabilem ex natura rei. casus autem ille est de potentia absoluta, de qua nondum est actum.

§. 14. Quia verò existimo causam illum esse possibilem, Dico Primùm in sententia adscribente supposito specialem influxum in operationes humanitatis, afferendum tunc vnionem hypostaticam amissum iri peccato: quia specialis influxus oriretur ex natura rei ab humanitate, vt terminata sola hypostasi creata: quia præsentè causã adæquatã connaturali, non potest ex natura rei concurrere alia causã non connaturalis. Imò esset tunc causã adæquata peccati distincta ab vnione hypostatica: in quod peccatum vnio minùs potest influere, quam calor in frigus: quia influxus vnionis in peccatum est impossibilis etiam diuinitus: igitur vnio hypostatica in eo euentu esset per accidens peccato, quod oriri posset à causã sua adæquata. Recognosce quæ dixi disp. 59. §. 50.

§. 15. Secundò censeo, eo in euentu vnionem hypostaticam esse per se conditionem vt existat humanitas, & esse principium operationum humanarum non aliter ac nunc est: ac propterea humanitatem esse tunc impeccabilem de potentia communi. Aduerte, aliud esse aliquid principium esse necessarium ad effectum; aliud autem, esse principium talis effectus. Principium necessarium est id, à quo est effectus, & sine quo esse non potest: principium autem est id, à quo est effectus, licet sine illo possit esse. In eo casu suppositum diuinum esset principium operationum humanitatis; item suppositum humanum esset eadem ratione principium: vtrumque item determinatè; neutrum autem determinatè esset principium necessarium. non esset principium necessarium, per accidens quidem, non per se: per se enim vtrumque est principium necessarium: vtrumque enim exigit carentiam alterius; per accidens autem componitur vtrumque.

§. 16. Probo igitur, vtrumque tunc fore principium: quia suppositum non habet immediatum influxum in operationes humanas, sed tantum remotum; in humanitatem autem non habet verum influxum; sed tantum habet cum illa immediatam vnionem, qua completur in genere substantiæ; quod complementum exigitur ex natura sua ab humanitate, vt existat. Itaque tota causalitas suppositi in humanitatem & operationes est immediata vnio cum illa: præter quam vnionem non est alia causalitas suppositi; sed illa vnio retineretur tunc ab vtroque supposito non aliter, ac si alterum esset solum: ergo retineretur vtriusque causalitas: quæ nihil est præter illam vnionem. Si causalitas esset modus distinctus ab hypostasi & vnione hypostatica, posset impediri ab altero: quia esset possibilis vnus modus dependens à supposito creato dumtaxat; alius verò à solo increato; alius autem ab vtroque: præsentè autem vtroque supposito posset Deus præstare vnum è tribus illis modis: cum autem modus, quo suppositum influat in naturam, & eius operationes, non distinguatur ab vnione, & hæc retineatur in vtroque: ergo retineretur influxus vtriusque.

s. Thom.
2. 2. q. 1.

§. 17. Confirmatur. vtraque vnio est prior natura, quam operationes: quia est humanitatis substantiale complementum, & prater hanc vnionem nullus est alius influxus suppositi in operationes: ergo vnio cum sua causalitate est prior natura. Vtrumque autem non esse necessarium, constat: quia si tantum existat alterum, altero non existente, natura existeret & operaretur tam bene, quam cum duobus: ergo non est vtrumque necessarium. Ratio autem dubitationis proposita §. 13. potest ex dictis facile dilui: quia effectus non oritur à duabus causis, quando influunt per causalitatem distinctam ab vnione; quando autem causalitas est vnio, non potest vtrumque non influere, quando vtrumque retinet vnionem.

SECTIO IV.

Vtrum de potentia absoluta?

§. 18. **G**Ravis est hæc difficultas, in qua parum sudauerunt antiqui. Est igitur hæc quaestio, vtrum vnio hypostatica talis sit natura, vt eo instanti reali, in quo est, non relinquat humanitatem indifferentem non solum ad componendum peccatum cum vnione, neque vt ex natura rei possit amitti, verum neque de potentia absoluta. Non disputo de vnione ratione visionis Dei, sed de ipsa vnione secundum se, & de eius effectu formali; ita vt hæc causalis propositio non possit esse vera, *Ideo vnio amittitur, quia humanitas peccat.* sicut ex natura rei est vera in gratia habituali. Nunc vnio in quocumque instanti reali est prior natura omni operatione: in casu autem quaestionis vnio non esset natura prior bono opere, sed posterior: conseruaretur enim, quia bene operaretur humanitas: sicut nunc conseruatur gratia, quia non peccamus grauiter. Si verò humanitas peccaret, non haberet eodem instanti reali vnionem; cuius dissolutio esset effectus peccati: sicut corruptio gratiae est effectus peccati mortalis. Hæc quaestio disputari potest à triplici capite. Primum, à conceptu suppositi vt sic, vtrum necessariò sit prius omni operatione. Secundò, à repugnantia vnionis non solum cum peccato, sed etiam cum potentia peccati. Terriò, ex natura alicuius decreti Dei cū peccato pugnantis: quod decretum vendicetur ab vnione hypostatica.

SVBSECTIO I.

Prima conclusio.

§. 19. **D**ico Primò: De potentia absoluta non repugnat vnionem per peccatum amitti; quod attinet ad suppositi prioritatem. Hæc conclusio liquidò constat ex disp. 27. vbi probaui potuisse diuinitus humanitatem Christi mereri de congruo vnionem hypostaticam; vel saltem potuisse bona opera præcedere vt conditionem moralem. Probaui enim, suppositum non esse principium immediatum operationum humanitatis; neque esse principium à quo humanitas pendeat à priori, sed tantum esse conditionem substantialem, sine qua humanitas non potest existere ex natura rei. Ob quod prius ratione, quam Deus parat concursum ad operationes accidentarias, intelligitur

dedisse suppositum. Nunc autem dico, potuisse Deum parare concursum ad operationes prius ratione quam ad hoc suppositum, vel ad illud: visâ autem operatione bonâ potuit Deus præbere vnionem hypostaticam; visâ autem operatione malâ, moueretur ad suppositum creatum.

§. 20. **O**bijcies: Humanitas nec diuinitas potest existere absque supposito creato, aut increato: ergo non potest in aliquo priori concipi sine aliquo supposito. Probo consequentiam: quia non potest concipi absque eo, sine quo esse non potest. Respondeo Primum, antecedens esse falsum: sapius enim ostendi, naturam creatam posse diuinitus esse absque vilo supposito. Quo fundamento euerso, ruit tota sententia. Deinde humanitas potest diuinitus existere cum duobus suppositis: cum naturali autem potest concipi in illo priori, præcisa à supposito supernaturali; visâ autem operatione malâ, negat vnionem hypostaticam, humanitas manente cum solo supposito creato. Et quamuis vnio hypostatica esset concipienda prius, quam operatio, si sola esset in humanitate sine supposito creato; at iam præexistente humanitate cum proprio supposito non est opus illam concipere pro illo priori cum alieno: quia hæc repugnantia fingitur ex parte ipsius naturæ non potentis concipi cum existentia nisi in se, vel in alio: at in nostro casu iam concipitur existens in se.

§. 21. **S**ecundò respondeo, prætermissis antecedenti, consequentiam esse malam: quia humanitas potest concipi præcisiuè pro aliquo primo signo rationis absque multis rebus, sine quibus esse non potest. Etenim esse non potest sine aliqua vbiacatione, sine dissimilitudine cum Deo, sine prædestinatione aut eius carentia, aliisque sexcentis; & tamen potest præcisiuè concipi absque illis. Item potuit Deus moueri meritis Christi ad illi conferendam vbiacationem Romæ. Itaque malum est argumentum à negatione existentiae ad præcisionem negandam. Ad probationem consequentiae, respondeo humanitatē non posse concipi absque illis rebus, à quibus pender à priori; potest tamen absque his, à quibus non pender à priori, sed à posteriori. Recognosce disp. 13. à §. 13. & disp. 26. à §. 18. & totam disputat. 27.

SVBSECTIO II.

Secunda conclusio.

§. 22. **D**ico Secundò: Humanitas Christi potest diuinitus amittere vnionem, quod attinet ad potentiam peccandi. Iam dixi §. 18. posse considerari repugnantiam, vt humanitas amittat vnionem: quia licet vnio non componeretur cum peccato, componeretur tamen cum potentia peccandi. Probatur, quia humanitas in toto illo instanti reali habet potentiam peccandi, & non peccandi. Pone, humanitatem pro illo priori signo rationis esse indifferentem ad actum bonum, & malum: quod quidem ponitur in hac controuersia, quia vnio est conseruanda dependenter à carentia peccati: si autem peccet humanitas, non habebit vnionem. Hic enim casus de potentia absoluta est qualis quotidie contingit homini iusto, quando iustitiam amittit. Si verò non peccet humanitas, retinet in eodem instanti vnionem: quæ retentio est

est ratione posterior, quàm carentia peccati: ideo enim retinetur vnio, quia humanitas non peccat: quemadmodum ideo retinetur gratia, quia iustus non peccat grauiter. At quando liberum arbitrium liberè non peccat, retinet potentiam peccandi. Vt igitur gratia non componitur cum peccato graui; componitur autem cum potentia peccandi; ita componeretur vnio cum eadem potentia. Hoc autem est absurdum: ergo.

§. 23. Absurditas probatur Primùm: quia sanctitas infinita non solum pugnat cum peccato, sed etiam cum potentia peccandi: sed vnio hypostatica reddit humanitatem infinitè sanctam, vt abunde probauit disp. 47. ergo vnio componi non potest cum potentia peccandi. Maior probatur: tum quia sanctitas Dei pugnat in ipso Deo cum potentia ad peccandum: tum etiam, quia quo maior est sanctitas, plus distat à peccato: sed qui non habet potentiam ad peccandum, plus à peccato distat, quàm qui eam habet, alter enim non peccat, quia non vult; alter verò, quia non potest. Vterque habet carentiam peccati; quo à peccato distat vterque: alter verò præter carentiam hanc habet necessitatem non peccandi, quæ est alia maiorque distantia: contingit enim ad peccandum est quædam propinquitas cum peccato: qui autem sunt in periculo peccandi, quamuis non peccent, dicuntur tamen à peccato parum abesse.

§. 24. Secundò, probatur absurditas: quia non repugnat creatura aliqua rationalis impossibilis cum potentia peccandi: ergo non repugnat humanitas vnita Deo impossibilis cum potentia peccandi. Probo consequentiam: quia creatura sanctissima inter omnes possibilis est, quæ vnitur hypostaticè Deo: ergo omnis perfectio sanctificationis possibilis creaturis est adscribenda humanitati vnitæ Dei. Confirmatur. Visio beata est in aliquo genere sanctitatis, & est inamissibilis peccato: ergo aliqua sanctitas creata est inamissibilis peccato, & pugnat cum potentia peccandi.

§. 25. Nonnulli mei discipuli fatentes apertè non esse impossibile, vnionem concipi in signo posteriori, quàm concipitur operatio, hanc viam inierunt, dignam quidem ingenio, quo ipsi florent. Cùm autem premerentur argumento, quo probatur humanitas potuisse diuinitus congruè mereri hypostaticam vnionem, dicunt id esse verum de merito congruo orto à voluntate confirmata in gratia, & impotente peccare; secus verò de meritis à voluntate indifferente ad peccatum. Vt autem huic argumento respondeam ego, animaduertò vnione hypostatica humanitatem esse formaliter impeccabilem in sensu composito ipsius vnionis: ita vt non possit concipi vnio in humanitate indifferente ad peccatum, sed determinata ad non peccandum: ita vt in sensu composito vnionis non sit potentia ad peccandum, quamuis sit in sensu diuiso. Indifferentia ad peccatum potest considerari in actu primo, & in actu secundo. In actu primo sunt omnia, quæ requiruntur ex parte potentiæ, vt possimus peccare, & non peccare. In actu secundo est peccatum ipsum: quia est exercitium potentiæ vt est ad peccandum. Prima indifferentia consideratur in primo signo rationis, in quo humanitas concipitur præcisa ab vnione. Secunda indifferentia numquam est cum vnione, sed potius cum vnione semper est carentia indifferentiæ illius. Itaque vnio

in euentu, quem disputamus, semper facit sensum *S. Thomæ* compositum cum carentia peccati: ex suppositione *q. 15. a. 13.* autem talis carentiæ implicat esse peccatum: ergo etiam ex suppositione vnionis.

§. 26. Hinc argumentor: Humanitas vt vnita hypostaticè tam est impeccabilis, quàm si non haberet potentiam ad peccandum: ergo potentia ad peccandum non obest vnioni. Antecedens probor: quia humanitas vt vnita Verbo, facit sensum compositum cum carentia peccati: sed sensus compositus cum ea carentia tam longè abducit humanitatem à peccato, quàm si haberet impotentiam ad illud: ergo vnio tam elongat humanitatem à peccato, quàm si ad illud non haberet potentiam. Probo Minorem: quia sensus compositus carentiæ peccati opponitur contradictoriè peccato: duo autem contradictoria tam sunt impossibilia, quàm si ad alterum non esset potentia. Prima autem consequentia probatur: quia vnio non præstat suum effectum formalem, nisi dum est: neque intelligitur illum præstare, nisi dum intelligitur esse: sed eò quòd sit vnio ad hypostasim, non est opus vt intelligatur esse pro illo primo signo rationis, quo intelligitur esse potentia in actu primo: ergo.

§. 26. Obijcis: Gratia habitualis reddit voluntatem impeccabilem in sensu composito sui: igitur vnio nihil habet speciale. Respondeo, gratia non reddi arbitrium impeccabile leuiter; redditur autem vnione. Item non est certum, non posse diuinitus componi peccatum mortale actuale cum gratia. Illa enim compositio de potentia absoluta est valdè probabilis; vnio verò est impossibilis etiam de potentia absoluta. Tandem gratia non reddit arbitrium impeccabile de potentia ordinaria; secus verò vnio. Hinc nego consequentiam. Sunt enim hæc tria discrimina.

§. 27. Ad argumentum ex §. 22. distinguo Maiorem. Est potentia ad peccandum cum indifferentia in solo actu primo sine determinatione in actu secundo, nego Maiorem: est potentia in actu primo determinata ad actum secundum non peccandi, concedo Maiorem. Nego autem hoc esse absurdum. Ad primam probationem ex §. 23. distinguo Maiorem: sanctitas infinita quoad substantiam & modum non solum pugnat cum peccato, sed etiam cum potentia peccandi, concedo Maiorem: nego autem Maiorem de sanctitate infinita quoad substantiam, & finita quoad modum: qualis est hypostasis Verbi vt sanctificat humanitatem; id enim præstat per vnionem creatam. Ad Primam probationem Maioris, respondeo sanctitatem Dei in ipso habere illum quasi effectum formalem: quia in illo est infinita quoad substantiam, & modum: non enim communicatur illi per aliquid creatum, sed per identitatem; secus verò humanitati. Ad Secundam probationem Maioris, respondeo humanitatem vt affectam vnione tantum distare à peccato, vt non possit esse maior distantia: distat enim per actualem carentiam peccati ratione priorem vnione. At in sensu diuiso minùs à peccato distat humanitas, quia in illo instanti potuit absolutè peccare. In quo sensu dico, sanctitatem maiorem quoad substantiam & modum magis distare à peccato, quo maior est: vnio autem hypostatica licet est maior sanctitas omnibus creatis; tamen includit modum finitum pertinentem ad complementum hypostaticum, siue suppositale, ratione
qui us

S. Thom.
9. 15. a. 1.

cuius potest non distare à potentia peccati in sensu diuiso: distat autem necessariò ab ea potentia in sensu composito. Ratio autem à priori est: quia licet hypostasis Verbi sit in se sanctitas infinita; at communicatur humanitati vice suppositi naturalis, per vnionem non magis necessariam ad operationes necessarias, neque cum maiori prioritate, quàm suppositum humanum. Cum igitur hoc non sit necessariò concipiendum ante operationem, ita neque vnio hypostatica est necessariò concipienda prius.

§. 28. Ad Secundam probationem ex §. 24. prætereo antecedens: demus enim, posse creari substantiam supernaturalem, carentem libertate peccandi; nego tamen consequentiam. Ad probationem, respondeo discrimen esse non ex substantia sanctitatis, sed ex modo. Sanctior quidem est humanitas vnita Verbo, quàm substantia creata supernaturalis: modus autem, quo vtraque concurrat ad operationes naturæ, est valde diuersus: quia substantia supernaturalis est principium essentialiter necessarium ad omnes actus suæ voluntatis: repugnat autem à principio supernaturali adæquato oriri peccatum: (vt ponitur in antecedenti, alioquin esset negandum;) vnio autem hypostatica non est necessariò principium operationum. Ad confirmationem ex visione beata, potest esse controuersia, vtrum cum illa possit componi iudicium, quo voluntas relinquatur indifferens ad peccandum. Ratio dubij est, quia visio iudicat nullam esse rationem, qua Deus possit offendi, quia videt bonitatem infinitam per essentiam: iudicium autem indifferens iudicat Deum vt possibilem offendi, aut propter bonum creatum, aut propter difficultatem. Si demus, opponi visionem beatam, & tale iudicium; respondeo visionem beatam non posse componi cum proxima potentia peccandi: quia talis potentia includit iudicium indifferens: nego tamen illam esse vnioni hypostaticæ, quæ immediatè non opponitur indifferenti iudicio. Si verò componi possunt visio beata, & tale iudicium; dico posse componi visionem beatam cum proxima potentia ad peccandum determinata quidem in actu secundo, vt de vnione dixi: quia visio conferri potest posterius ratione, quàm homo videatur non peccans. In hac secunda respondendi ratione, dicendum est posse hominem iustum beati eodem instanti, quo bene operatur cum indifferencia ad peccandum: posse item visionem prius tempore habitam amitti hoc instanti reali peccato: quia hoc instanti visio non dirigit eas actiones, sed potius sequitur: nec intelligitur conferri nisi posterius ratione. Si enim homo peccat, amittit visionem; si verò non peccat, eam conseruat, vt sæpè dixi de gratia: cum hoc discrimine, quòd gratia potest naturaliter destrui; visio autem petit dirigere actiones beati.

SVBSECTIO III.

Tertia conclusio.

§. 29. **D**ico Tertio: Possibile est vnionem per peccatum amitti: quod attinet ad decretum Dei. Opinati sunt nonnulli non repugnare de potentia absoluta aliquam creaturam, cuius productio pendeat essentialiter à decreto Dei negante

concursum generalem ad actum peccati. Ex suppositione talis decreti repugnat, vt creatura peccet: sed hæc suppositio est essentialis illi creaturæ: ergo essentialis est illi creaturæ impotentia peccati. Sed si qua creatura id petit, maximè vnio hypostatica: ergo repugnat peccare naturam cum illa vnione. Minor videtur certa: quia vnio hypostatica est perfectissima inter creatas sanctitates. Maior verò probatur: tum quia non ostenditur repugnantia: tum etiam, quia ex parte creaturæ est essentialis dependentia à decretis Dei: cur igitur non erit possibilis aliqua creatura, essentialiter dependens ab hoc decreto?

§. 30. Respondeo esse hoc argumentum inane: quia eadem ratione probaretur, non posse vniri hypostaticè naturam prius tempore peccaricem: item nec posse humanitatem dimissam à Deo peccare de cætero: quia non repugnat creaturam aliquam dependere à Deo essentialiter per decretum negandi perpetuò illi voluntati concursum ad peccatum; sed ex suppositione talis decreti illa voluntas esset impeccabilis: & hæc suppositio est essentialis illi creaturæ: ergo huic esset essentialis impotentia peccandi. Sed si qua creatura eius generis est possibilis, maximè vnio hypostatica propter excellentiam sanctitatis, quam communicat: igitur hypostatica vnio pendet essentialiter à decreto Dei negandi semper voluntati concursum ad peccatum. Maior probatur, tum quia non ostenditur repugnantia: tum quia creaturæ pendunt essentialiter ab efficacibus Dei decretis: cur igitur hæc creatura non pendeat ab hoc decreto? En tum argumentum, & quod consequens inferat ex tuis consequentijs.

§. 31. Distinguo igitur Maiorem: quam admittit de creaturis impossibilibus diuinitus cum peccato, & quæ necessariò sunt principium omnium actionum voluntatis: qualis est substantia supernaturalis: quæ (si possibilis est) nec potest cum peccato componi, & est principium omnium affectuum. Huc reuoco visionem beatam: si enim est impossibilis tum iudicio indifferenti ad peccatum, oritur etiam à decreto Dei, negante concursum generalem ad actum peccati. Ratio est ab effectu formali illarum rerum: quia enim iudicium indifferens pertinet ad conceptum essentialem potentie ad peccandum: & effectus formalis visionis beate est oppositio cum tali iudicio; ideo decretum de visione beata est, aut infert decretum de auferendo concursum ad tale iudicium, potentiam que peccandi. Item, quia repugnat à principio supernaturali adæquato oriri peccatum, repugnat substantia supernaturalis, nisi à decreto impossibili cum concursu generali ad peccatum. Est autem falsa illa maior propositio de creaturis, quæ non habent illos effectus formales. Quis enim dicet esse possibilem aliquem lapidem dependentem essentialiter à decreto efficaci Dei de non producendo ligno? Id autem vnde probamus, nisi quia illæ duæ substantiæ non sunt oppositæ? Decreta igitur colligimus ex ipsis creaturarum conceptibus. Si quis diceret actionem aliquam pendere ab hoc in diuino decreto Dei, & non ab alio eiusdem rationis; sicut hæc calefactio pendet ab hoc numero calore, & non ab alio; minùs quidem erraret: quia actio est modus extrinsecus agentis: iam que reduceretur ad effectum formalem actionis, quæ est essentialis

essentialis determinatio huius effectus ad hoc principium. At in cæteris creaturis non est cur admitatur essentialis dependentia ab hoc decreto in particulari. Ratio autem est, quia decreta essentialiter petita ab effectibus, sunt accommodata illorum naturis. Hæc de maiori propositione è §. 29.

§. 32. Nego autem minorem propositionem ex §. eodem. Ratio est, quia licet sanctitas Verbi sit infinita; communicatur tamen humanitati per vñionem necessariam quidem antecederet ad operationes ex natura rei; non tamen essentialiter. Vnde oritur illam non pendere essentialiter à decreto efficaci Dei negante voluntati cõcursum ad actum malum: quia potest donari à Deo post liberam determinationem arbitrij ad non peccandum: id enim ego probavi ex conceptu communi suppositi creati: pro quo subrogatur hypostasis Dei in humanitate: dum autem aliunde non diuellor ab hoc fundamento, non est cur admittam essentialem dependentiam ab eo decreto. Hinc oritur vñionem posse fieri ad humanitatem prius peccantem: item humanitatem dimissam posse peccare posterius: quia vñio non pendet essentialiter nisi à decreto, negante illius compositionem cum peccato: conaturaliter autem petit decretum, quo sit natura prior, quàm operationes humanitatis.

SUBSECTIO IV.

Ultima conclusio.

§. 33. Deo tandem, non repugnare diuinitus vñionem hypostaticam per peccatum amitti. Hæc conclusio deducitur aperte ex Scoto, Durando, Fabro, & alijs asserentibus Christum, vt hominem, carentem visione beata posse peccare: quis enim dubitet posse humanitatem eo peccato vñione priuari; quemadmodum gratia priuatur? Cui conclusioni à me iam probatæ subscribere nonnulli. Ex antiquis mihi fauent quotquot soli visioni Dei adscribunt impeccabilitatem Christi, vt hominis; refragatur autem nullus: prætermiserunt enim quæstionem hanc. Probatur Primum à priori: quia vñio hypostatica non est principium per se operum humanitatis; sed tantum est conditio sine qua non existit humanitas: vt latè probavi subsect. 1. Secundò, à simili, quia potuit diuinitus se ad vñionem præparare: ergo & vñionem amittere. Consequentia patet: quia vtrobique concipitur vñio posterior operibus. Quod autem obijcitur de potentia peccandi, iam dixi subsect. 2. Tertid, quia in eo euentu Verbum nec denominatiuè diceretur peccare: quia pro eo instanti Verbum non esset homo: sicut homo non est iustus, quo instanti peccat grauitè. Est autem hoc discrimen inter iustum peccantem, & humanitatem peccantem: quòd iustus dicitur peccare per ampliationem: manet enim subiectum, quòd dicebatur iustus; at verò humanitate peccante, non manet Deus homo: significat enim in recto suppositum diuinum vñitum humanitati: tunc autem non est vñitum: ergo non est Deus homo. Comparantur autem rectè iustitia, & Deus homo: quia vt non est iustitia eo instanti, ita neque Deus est homo. Vnde si humanitas disponeretur ad vñionem; non diceretur Deus tunc per illas operari: quia operationes illæ essent existentes, prius ratione quàm Deus esset homo. Deficiente

Pet. Hurrado de Mendoza de Incarn. pars 1.

autem hac denominatione, non est cur humanitas non possit peccare: quia tota repugnantia sumitur ab hac denominatione: vel quia ratione illius voluntas diuina peccaret, non impedito peccato humanitatis sibi vñitæ: vel quia componerentur peccatum, & vñio. At in nostro euentu non esset hæc compositio, nec obligatio naturæ diuinæ: quia eo instanti reali non esset humanitas vñita Verbo, igitur ex hoc peccato nullum sequitur incommodum eorum, quæ ego etiam refugio in Deo homine.

SUBSECTIO V.

Ad argumenta.

§. 34. Vñionem hypostaticam non posse corrumpi ratione peccati etiam de potentia absoluta, indicare videtur P. Vasquez disp. 61. n. 41. quamuis non tam clarè, quin possit esse tergiversatio. Ab ea sententia clarior est P. Suarez disp. 34. sect. 2. P. Ragusa disp. 114. §. 10. P. Monzeus disp. 9. c. 4. & alij recentes. Quam probare nituntur testimonijs SS. Patrum affirmantium humanitatem Christi esse confirmatam in bono vñione hypostatica. Quos tamen explicui disp. 59. à §. 7. ad 10. de confirmatione ratione vñionis. Quia verò §. 19. eiusdem disp. 59. Augustinum adduxi pro impeccabilitate Christi ratione vñionis, dico humanitatem Christi vñione ipsa esse confirmatam physicè in bono; ita vt non possit de potentia ordinaria ad peccata deflecti: quo differt à gratia habituali, quæ non constituit iustum impeccabilem ex natura rei; sed illum relinquit obnoxium peccato, quo ipsa naturaliter corrumpatur: vt dixi disp. 60. Quo respondetur præcipuo argumento aduersariorum: at verò voluntatem non posse de potentia absoluta indifferentem relinqui ad peccatum, & amittendam vñionem, Sancti non dixere. Quod enim aliquis dixit, animam Christi esse omnibus modis inuertibilem, intelligitur ex natura rei: sicut Beati dicuntur omnibus modis impassibiles. Mitto rationes petitas à prioritate suppositi, iam sæpius impugnatas; alias percurro.

§. 35. Prima: Humanitas ex natura rei non potest peccare: ergo nec de potentia absoluta. Probant consequentiam: quia Deus concurreret speciali ratione ad peccatum. Quo argumento mouentur ad negandam compositionem gratiæ habitualis cum peccato mortali. Respondeo argumentum non esse admodum efficax contra eam compositionem: eo autem ibi prætermisso, nego hinc esse rationem eandem. Nego igitur consequentiam cum sua probatione. Quia miraculum non versatur immediatè circa peccatum, sed circa vñionem: quæ ex natura sua petit esse prior natura, quàm operationes humanitatis: Deus autem vult eam esse posteriorem. Quod minimè pugnat: multa enim, quæ non sunt ex natura sua nostris actibus subiecta, potest Deus illis subijcere: vt vñio hypostatica potuit subijci meritis congruis, aut dispositionibus moralibus. Deus autem volens parare concursum ad actum priorem vñione, illum parat tam indifferentem, quàm si humanitas esset proprio supposito terminata. Itaque Deus esset auctor illius inuersionis; actuum autem inde sequentium non esset auctor ratione magis speciali.

§. 36. Secundò mouentur: quia comparatione

pp suppositi

S. Thom.
q. 15. a. 1.

suppositi proprii non potest esse illa prioritas: ergo nec comparatione suppositi diuini subrogati pro connaturali. Nego antecedens. Video suppositum proprium non esse ingens primum; maxime si posset humanitas consistere absque supposito: at verò potest Deus expectare bona aut mala opera humanitatis, vt pro illis conferat suppositum, vt natura existat completa: si verò non operetur bene, illam relinquet absque supposito. Quòd si non potest absque illo consistere, illi tribuet aliud imperfectius. Si autem hoc etiam repugnet, non potest humanitas mereri proprium suppositum. At in nostro casu suppositum connaturale & vnio hypostatica sunt posteriores actionibus liberis; non quòd proprium suppositum cadat sub meritum, sed potius sub demeritum: expectat enim Deus operationes liberas, vt pro bonis det hypostaticam vnionem; pro malis autem suppositum connaturale. Quòd tunc habet rationem pœnæ, non ratione sui, sed ratione carentiæ vnionis hypostaticæ, quæ coniuncta est supposito connaturali.

§. 37. Terriò, quia omne peccatum esset in ea humanitate mortale: hoc autem est absurdum: ergo. Maior probatur: quia omne peccatum est impossibile cum vnione: ergo omne peccatum esset mortale. Probo consequentiam: quia omne peccatum excludens gratiam sanctificantem est mortale. Nego Maiorem. Ad probationem re-

spondeo, vnionem expelli peccato veniali non in ratione pœnæ, sed in ratione formæ pugnantis physice cum vnione. Non enim potuit decerni tanta pœna pro peccato: in quo Deus non displicet sibi tantum, vt pro illo vellet inferre tantam pœnam. Repugnantia autem oritur ex perfectione vnionis hypostaticæ, quæ sanctificat infinitè in omni genere. Et quemadmodum reatus ad pœnam est incompossibilis cum vnione propter huius perfectionem infinitam, & peccatum veniale pugnat cum visione beata non ratione sanctitatis, sed ratione felicitatis; ita pugnat peccatum veniale, & vnio, non ratione amicitiae cum Deo, sed ratione specificæ vnionis. Vt autem peccatum sit mortale, opus est vt opponatur amicitiae cum Deo vt sic; hoc autem non contingit in peccato veniali: licet enim ratione illius expelleretur vnio, non tamen gratia habitualis, quòd P. Monzeus disp. 9. c. 4. obleruat acurè. Confirmatur: quia si humanitas pro illo priori exerceret actum imperfectum, non posset toto eo instanti reali habere hypostaticam vnionem: quam disp. sequi. probabo esse impossibilem cum imperfectione: & tamen actus imperfectus non est malus, sed bonus: vt ibidem ostendam: ergo vnio hypostatica non expellitur peccato veniali in ratione pœnæ, sed ratione oppositionis ob excellentissimam perfectionem humanitatis.

DISPUTATIO LXI.

Vtrum Christus, vt homo, potuerit esse imperfectus?

SECTIO I. *De perfectione nonnulla.*
SECTIO II. *Qua sit perfectio Christianarum*
SECTIO III. *Hæc auctoritate probantur.*
SECTIO IV. *Actuum moralium perfectio & imperfectio.*

SECTIO V. *Christus non potest esse imperfectus moraliter.*
SECTIO VI. *Opposita sententia.*
SUBSECTIO I. *Primum argumentum.*
SUBSECTIO II. *Secundum argumentum.*

§. 1. **M**Æ quæstio nexa est superiori. est enim de ratione sanctitatis non solum abstinere à peccato, sed etiam ab actibus imperfectis. Laudamus tria hominum genera. Primum, qui abstinent à peccato mortali, non tamen à venialibus: quos dicimus esse probos; sed illorum laudes non sunt puræ: quia sunt reprehensione digni. Secundum, qui abstinent à peccatis venialibus, quæ admittuntur datâ operâ, & cum aduertentia. hos magis laudamus, appellamusque sanctos. Tertium, qui non solum abstinent ab ijs peccatis, sed qui etiam frequenter meliora sequuntur, & quæ arbitrantur esse Deo gratiora. Quarimus vtrum Christus tum visione, tum vnione sit necessariò ad Deo gratiora semper adstrictus?

SECTIO I.

De perfectione nonnulla.

§. 2. **P**erfectio aut est physica, aut moralis. illa sequitur transcendentalem rationem entis, cum quo conuertitur: hæc comitatur actus liberos honestos, à quibus, quia mores constituunt, dicitur *moralis*: vt item dicitur *moralis malitia*, quæ comes est actuum liberorum turpium, qui sunt mali mores. Perfectio physica est aut in omni genere entis, siue absolute in ratione entis, qualis est per

quam aliquod ens ita constituitur, vt nihil ei desit in ratione entis: est enim perfectum vt sic, cui nihil deest, siue quod habet omnia bona quæ possunt haberi. Est ergo perfectum in ratione entis, cui in ea ratione nihil deest, siue quod habet omnia possibilia enti. Quo genere solus Deus est perfectus, cui insunt omnia bona possibilia enti: in quo reperitur omne bonum formaliter quidem aut eminenter. Si bonum est increatum, est in Deo formaliter, id est secundum proprium & specificum conceptum, vt omnipotentia, immensitas: si verò est bonum creatum, est quidem formaliter in creaturis; in Deo autem eminenter. Id est, non est in Deo secundum conceptum specificum; sed secundum alium